



1. Anton J. Pauli, s. Veritas
Christiane Religionis,
Hale, 1718.
2. Diff. de Insigni
Harmonia Fidei que iusti-
ficat, et fidei, quatenus
iustificare dicitur, Hale, 1723
3. Barth. J. Joh. Henr. s. Diff.
de docta in theologia Ignoran-
tia, Argentorati, 1717.
4. Baumgarthen J. Sigism. Jac. s.
Diff. de Limitibus in concili-
anda Rationi Doctrina
revelata observandis, Hale
1751.

Q. D. B. V.

QVAESTIONEM

**ANNATVR ALI HOMINES
POLLEANT VATICINANDI
FACVL TATE?**

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
MARCHIONE BRANDENBVRGICO, ELECTORATVS
HEREDE, ET RELIQA

PRAESIDE

JOH. FRĀCISCO BVDDEO,

SS. THEOL. LIC. ET PHIL. MOR. AC CIV.

P. P. O. h. t. DECANO,

PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS
CONSEQVENDIS,

DISSERTATIONE PHILOSOPHICA
EXPEDIET,

EAMQVE A. D. DECEMB. A. M. DC. XCIX.

ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTET

FRIDERICVS WILHELMVS Hoffbauer/

Bielfeldensis Guestphalus.

Cum Permiss. Recusa.

JÆNE, Typis KREBSIANIS, 1717.

QUESTIONEM
AN ATTRACTIONES
BOYLEANAE VALEANT
FACULTATEM

MASSIDE
DA. FR. JACOBO BAPPEO,
MAGISTRO PRAEDICANTIS, RECTORIS
SACRAE THEOLOGICAE FACULTATIS
UNIVERSITATIS ALMAE MATRIS
SACRAE THEOLOGICAE FACULTATIS
UNIVERSITATIS ALMAE MATRIS

PRO EXAMINE IN PHILOSOPHIA HONORIBUS
CONFERENDIS
DISSERTATIONE PHILOSOPHICA
EXPOSITA

FRIDERICI WILHELMIS GÖTTSCHEWII
BIBLIOTHECAE GÖTTINGENSIS

Com. Petrus Kuhn
JENAE, Typis KRISTIANIS, 1775





Q. D. B. V.

Σύνοψις.

INter mentis nostrae facultates a nonnullis refertur facultas vaticinandi, §. I. per quam hic non intelligitur quaelibet diuinitio, siue ex signis naturalibus §. II. siue ex moralibus institatur, §. III. Duplici modo homini facultas vaticinandi tribui potest, tum ut ipsi menti haec insit, tum ut homo peculiari dispositione ad manifestationem a Deo aut genio factam, recipendam, polleat, §. IV. Prius asseruit Ammonius, cuius rationes referuntur, & quidem prima §. V. secunda §. VI. tertia §. VII. Posterius affirmavit Moses Maimonides, §. VIII. cuius sententia porro edisseritur, §. IX. & X. itemque alii Ebraei, ut & Sabaei §. XI. Benedictus quoque Spinoza, §. XII. cum primis Petrus Petitus, iuxta quem dispositio ista consistit in mentis sublimitate, §. XIII. & temperamento melancholico, §. XIV. quorsum & multum conferat positus siderum, §. XV. & haustus halitus subterranei §. XVI. Asseruntur rationes pro hac sententia, quarum prima petita est ex praeparatione vatum Ebraeorum §. XVII. altera, ex natura somniorum §. XVIII. tertia, ab exemplis vatum qui fuerunt apud Gentiles, §. XIX. quarta, ab oraculis Gentilium & Sibyllis, §. XX. quinta, ab exemplis prophetarum, qui fuerunt apud Christianos, §. XXI. Menti nullam vim vaticinandi insitam esse, probatur, §. XXII. & ad rationes Ammonii respondetur, §. XXIII. De dispositione ad vaticinandum nostra sententia aliquot assertionibus proponitur, §. XXIV. deque sublimitate mentis, an huc faciat, disquiritur, §. XXV. itemque de temperamento, §. XXVI. ut & desiderum influxu, §. XXVII. nec non de haustu halitus subterranei, §. XXVIII. Ad rationes allatas respondetur, & quidem ad primam §. XXIX. ad secundam, §. XXX. ad tertiam, §. XXX. ad quartam, §. XXXII. ad quintam, §. XXXIII.

A 2

§. I.

§. I.



Nil abstrusum aequè reconditumque est, quam mentis nostrae, eiusque, quibus pollet, facultatum, ratio. Elaborauerunt in iis indagandis sapientissimi quique viri: quorum quo quisque cordatior fuit, eo apertius, nunquam tantum se cogitatione sua affectum esse, ut non plura ignoraret, professus est. Comparatum id ad factum

hominum retundendum coercendumque utique est, quos ingenii praestantia haud raro in sui admirationem abripit: cum tamen miserrimi mortalium, ne suae quidem mentis, quam circumferunt ubique, vel potius quae eos circumagitat, vim cognitam habeant. Ego vero is non sum, qui gloriari adeam, perspicere aut tenere me ea, quae alios fugiunt: nec tamen rei difficultate deterreor, quo minus in eius contemplatione studium industriamque maximam collocem. Cum itaque inter alia & hoc in disceptationem venire apud doctos videam, num menti peculiaris facultas vaticinandi, & futura quaeuis praenoscendi insit, meam hac de re exponere sententiam, constitui. Adsit conatibus nostris Deus, laboremque fortunet.

§. II. Hoc primum obseruemus, non de qualibet futurorum noticia hanc, quam agitamur, institui quaestionem. Namque & ex signis quibusdam documentisue, tum latentia quaelibet & recondita, tum futura etiam intelligi recte possunt, atque condisci. Eiusmodi signorum naturalia alia sunt, alia moralia. Illa vel ab ipso supremo Numine constituta, vel ficta ab hominibus sunt, credulitate ac superstitione in transvorsum actis. Tota enim *ματιμη* in eo occupatur, ut ex eiusmodi documentis, plerumque cassis, & nihil significantibus, incognita aut futura eliciat. Quod si argumento quodam constaret, Deum ipsum per ista signa arcana pandere & futura manifestare voluisse, in iis pernoscentis recte industriam suam

suam ponerent homines, nec culpari diuinatoriae artes possent. Inquirant, quorum interest, sintne quaedam signa, ex quibus futurorum documentum capitur, admittenda, an omnia plane reiicienda. Certe apud antiquissimas gentes, inter philosophiae partes, diuinandi disciplina haud infimum locum tenuit: † quin nec Christianis omnes diuinandi artes reiectae plane ac reprobatae fuerunt. †† Sed id nunc non agimus. Nec mentis vis peculiaris hic se exerit, cum, si quid veri subest his artibus, id omne experientia ac obseruatione constet, & traditione propagari ad alios possit.

§. III. Pari ratione quae ex moribus hominum, causisque & momentis huc spectantibus, futura conicit, diuinatio comparata est: nisi quod insuper *εὐσوخία* quaedam & *ἀγχινοία* singularis, solertiaque in animorum reconditis recessibus introspectendi, siue natura hanc quoque, siue usus rerum experientiaque contulerit, ad eam requiratur. Vnde prudentiam esse quodammodo diuinationem CORNELIUS NEPOS dixit, † qui TULLIVM etiam celebrat, quod non ea solum, quae viuo se acciderunt, futura praedixerit, sed etiam, inquit, quae nunc usu veniunt cecinit vt *vates*. Qua quidem facultate se praeditum fuisse ipse non dissimulat, sed eandem passim praedicat, seque ea non temere deceptum fuisse gloriatur. †† TRIVS LIVIVS tum alios, tum SCIPIONEM, de euentibus rerum vaticinantem inducit: † *Animus quoque meus*, inquit, *maximus mihi ad hoc tempus vates*, praesagit, nostram Hispaniam esse: breui extorret hinc omne Punicum nomen, maria terrasque foeda fuga impleturum. Posset facile aliquis induci vt crederet, sublimiorem quandam arcanioremque praesagiendi vim a SCIPIONE hic indigitari, sed quae subiungit rationum momenta, statim condocent, talem eum innuere diuinationem, quae matrem habeat prudentiam. *Quod mens*, inquit, *sua sponte diuinat, idem subiicit ratio haud fallax*. Imo forte mens haud diuinasset, nisi praeluxisset ei ratio. *Vexati ab iis socii nostram fidem per Legatos implorant. Tres duces discrepantes, prope vt defecerint alii ab aliis, trifariam exercitum in diuersissimas regiones distraxere*. Pertinet huc & illud Ouidii: ††

† *vid* Thomas Stanleus in Hist. Phil. Or. lib. I. Sect. II. Cap. XXIII.

& lib. II. cap. VII.

†† *conf*. I. saecus Caes. laudatus in Not ad Ael. Spartiani.

Adrian. Caes. Cap. II. p. m. 20.

† *in* vita Attici Cap. XXV. n. 4.

†† *in* Epist. ad Atticum lib. VIII.

Ep. XI. it. lib. X. Ep. VIII.

† *Histor.* lib. XXVI.

Cap. XXXI.

†† *Trist.* I.

8.

*Augurium ratio est, & coniectura futuri,
Haec diuinaui, notitiamque tuli.*

Quantacunque autem sit ista diuinandi solertia, prudentiae tamen limites non egreditur. Ponit enim vir prudens quod multo vsu didicit, aut ab aliis accepit, experientiaque est comprobatum, per hominum mores, per procerum ciuiumque studia, non posse non lacerari quandoque & everti rempublicam, si cuncta conspirent. Suorum hinc quae sit temporum ratio solerter perpendit, & ita rebus omnibus probe & sollicitate circumspicit, futura prompte prouidet. Ast de qua nunc dispiciemus, vaticinandi facultas, aliter se habet.

§. IV. Eiusmodi enim diuinandi vim hic indigitamus, qua abscondita quaeuis & arcana, futuraque, etiam fortuita, quorum nullum signum indiciumue extat, cognosci, atque praesciri, indeque manifestari aliis, atque praedici possunt. Quae quidem duplici rursus modo homini inesse potest. Primo ut ipsa mens vires ejusmodi praenoscendi, polleat, plane vt res indicio quodam manifestas, praesentes & praeteritas, cognoscere potest, nec Dei aut genii cuiusdam ad hoc indiget manifestatione. Deinde vt per se eiusmodi quid intelligere nequeat, gaudeat tamen dispositione quadam, indicationem reuelationemque futurorum, siue Deum haec auctorem agnoscat, siue genium quendam, recipiendi. Vtroque modo vis diuinandi mentibus hominum a quibusdam tribuitur: sed vt non eodem modo in omnibus se exerat. Recte ne, an secus, hoc fiat, mox constabit, si prius vtriusque fontentiae propugnatores, eorundemque, quibus se tuentur, rationes, attulerimus.

* in lib. de
Def. Oracu-
lor. T II.
Opp. p. 196.
Edit, quae
Basileae A.
1574. grae-
ce prodit.

** De Sibyl-
la lib. I. Cap
VIII. p. 30.
seqq.

§. V. Prodeat itaque * AMMONIVS, qui apud PLVTARCHVM euincere annititur, diuinandi futuraque praenoscendi vim menti ipsi inesse. Rationes eius fusius exposuit preffatusque vsit PETRVS PETITVS, ** Medicus & Philosophus Parisiensis, Vir ingenio atque doctrina clarissimus. Prima ex eo deprompta est, quod aequae difficile sit, recordari praeteritorum, quam praenoscere futura. Cum autem nemo praeteritorum recordationem, reclamante experientia, abiudicare hominibus possit, nec fas esse futurorum praenotionem ei denegare.

Nam

Nam quod anima nostra, quorundam naturaliter recordatur, inquit ex AMMONII mente PETITVS, hinc patet, posse hanc ea quae amplius non existunt, sed fuerunt, cognoscere, cur igitur non etiam ea quae nondum sunt, sed futura sunt, & quod discrimen in iis fingi potest, quae pariter non sunt in natura? Et si quis forte regerat, praeteritorum futurorumque hoc esse discrimen, quod illorum species in memoria repositae maneant, ex quibus tanquam picturis, quae olim fuerunt, ab iis qui ea viderunt, audierunt, aut alio quodam sensu perceperunt, vel etiam gesserunt, denuo cognosci possint, futurorum autem nullam eiusmodi in animo esse speciem, reponit vir doctissimus, discrimen hoc esse nullum, quoniam eadem species perinde nobis ad praeterita, praesentia, & futura perspicienda inseruire possint. De praesentibus autem praeteritisque, postquam hoc ex eo probauit, quod quae nunc sunt praeterita, & quorum recordamur, ea olim fuerint praesentia, & quae nunc sunt species praeteritorum, & memoriae inseruiunt, ea olim praesentium fuerint, de futuris ita pergit: quod autem & eadem sit ratio specierum per quas futura prospiciuntur, non minus liquido declarari potest, si quod experientia notum est, cogitemus, nihil tam nouum, tam inusitatum in tempore futuro accidere posse, cuius non species ac signa in animo nostro pridem per sensum accepta inhaereant. Edisserit hoc ulterius, asseritque omnem difficultatem & laborem diuinandi futura eo redire, vt species animo inhaerentes rite componantur, vt ex iis apta vnus de altero praedicatio atque enunciatio futuro post euentui congruens, efficiatur. Non minorem tamen difficultatem esse, ait, in recolendo quae transacta sunt: cum & horum solae seorsim species, in animo remanere videantur, compositio autem ipsorum pridem cum rerum existentia ex sensu euauerit. Quare cum animus sua ipse facultate compositionem illam efficiat, par esse illi videtur siue facilitas, siue difficultas, reuocare eam, quae in praeterito tempore facta est, specierum compositionem, & nouam ex iis quae sunt in animo phantasmatis, excitare, quae sit futuro rerum euentui congruens.

§. VI. Nec

§. VI. Nec mediocre huic rationi accedere robur ac firmamentum, porro PETITVS * partes AMMONII propugnans autumat, ex diuinationis ipsius indole, quam omnes fateantur, ad praeterita & praesentia non minus quam futura se extendere. Idque HOMERI quoque de CALCHANTE vate heroicorum temporum verba facientis, testimonio comprobatur:

- - - τοῖσι δ' ἀνέστη
 Κάλχας θεσηλῶν, Διωνοπέλιον ἔχ' ἄριστος,
 ὃς ἤδη τὰτ' ἔόντα, ἐσσομένα, πρότ' ἔόντα,
 itemque Virgillii de Proteo eadem enuntiantis:

- - nouit nemque omnia vates,
Quae sunt, quae fuerint, quae mox ventura trabantur.

Praeteritorum ergo intuitu diuinationem a memoria haud differre, inde concludit. Nec enim in rebus ipsis differentiam esse, quippe quibus id commune omnibus sit, vt fuerint, amplius non sint, aut fiant. Hoc solum intercedere discrimen, quod plura vates de praeteritis & futuris dicant, quam hominum quivis, quamuis memoria excellens, dum recordatur. Ceterum id discrimen graduum potius esse, quam speciei.

§. VII. Nouam rationem AMMONIO suppeditant ii, qui morti appropinquantes vaticinantur. Cuius rei quamplurima extare dicit exempla. Sic NESTOREM apud HOMERVM propinquam ACHILLI mortem denuntiasse, idemque fecisse CALANVM Regis ALEXANDRI familiarem. Et sane apud CICERONEM * POSIDONIVS id ipsum comprobatur exemplo RHODII, qui moriens sex aequales dixerit, qui primus eorum, qui secundus qui deinde deinceps moriturus esset. Notum quoque est illud SOCRATIS, afferentis, cum in HOMERO legisset, eos qui moriuntur praenoscere futura, se quoque aliquid diuinare velle: βέλομαι καὶ ἐγὼ χρησμοδοῦσαίτι. Possimus his ex diuinis litteris addere exemplum IACOBI, morti vicini, & suae sobolis fata per ventura demum secula clare indicantis, nisi iam exemplorum esset affatum. PLVTARCHVS vero, obseruante PERITO ** hinc ita arguit: non est verisimile aliquas animam lucrari facultates & proprietates in discessu e corpore, quas antea non haberet: multo verisimilis est, si quam morti vicina

* de Diuinatione lib. I. cap. XXX.

** l. c. p. 38.

na ostendat, qua antea non vteretur, habuisse quidem eam si-
bi innatam, sed obscuratam, atque impeditam corporis conta-
gio, quam tunc exerat, cum resolvi incipit, & minus mem-
brorum caducorum & humorum sarcina premitur.

§. VIII. Sequuntur nunc illi, qui singularem quandam
dispositionem ad futurorum manifestationem recipendam, in
quibusdam reperiri, eamque ad vaticinandum necessariam es-
se, contendunt. Agmen inter eos ducit Iudaeorum facile
doctissimus, MOSES MAIMONIDES. Hic enim tres de prophe-
tia recenset sententias; ** Primam vulgi & imperitae multi-
tudinis esse dicit, quod Deus sine doctrinae, sapientiae aeta-
tis, temperamenti intuitu, illis qui probis honestisque mori-
bus praedit sunt, arcanorum & futurorum quandoque noti-
tiam impertiat. Alteram Philosophorum esse dicit, asseren-
tium, prophetiam esse *perfectiorem quandam in natura hominis.*
Hanc autem perfectiorem dicunt, ita pergit, neminem adipisci, nisi
studio, industria, & diligentia, quae id quod in potentia speciei inest,
in actum educat; nisi impediatur, vel ab impedimento aliquo inter-
no, proueniente a temperamento hominis, vel a causa aliqua externa
pro more cuiuslibet perfectiōis, speciei alicui competenti. Nam
perfectio illa non est in vnoquoque individuo illius speciei in summo
suo gradu, sed in aliquibus tantum, & hoc quidem necessario. Et si
perfectio illa ita comparata sit, ut ad illius adeptiōem necessario re-
quiratur educator, talem quoque sine dubio habebit. Tertiam sen-
tentiam legi doctrinaeque moſis conformem dicit, quae ta-
tamen cum sententia Philosophorum conueniat, vnica tantum
re excepta, hac videlicet, inquit, quod credimus fieri posse, ut quis
ſit idoneus ad prophetiam, & se ad illam decenter praeparat, & ta-
men non prophetet propter voluntatem & beneplacitum diuinum.
Quod postquam demonstrauit pluribus, addit: *fundamentum*
namque huius rei & praecipuum quod nos quoque requirimus, est
dispositio vel dexteritas naturalis, & perfectio tam in moribus & qua-
litatibus externis, quam in rationalibus & intellectualibus.

§. IX. Nec asserit tantum Ebraeus Doctor, dispositionem
quandam ad vaticinandum, esse in hominibus posse, sed in quo

B

con-

** in More
Neuchini
part. II.
cap. XXXII

confistat accuratius etiam nos edocet. Imaginandi vis autem utramque illi facit paginam, cuius summam perfectionem esse oportere statuit, si quis vaticinari velit. Sed cuncta paucis ita complectitur: si fuerit homo cuius cerebri substantia sit in decenti perfectione respectu materiae, temperamentum, proportionis & locationis, & non prohibeant vel impediant eum alia ab alterius alicuius membri temperamento: si postea diligenter studeat & literis incumbat, ut quod potentia ei inest in actum possit exire, habeat intellectum humanum perfectum & consummatum, mores honestos & puros, avidusque sit sciendi secreta, & causas naturae: si cogitationes eius omnes semper tendant ad res laudabiles & honestas, si curae eius versentur circa Dei cognitionem & operum eius considerationem, eorumque, quae de illis credere oportet: si animus & cor eius valedixerint omnibus brutalibus cupiditatibus, si animus & cogitationes eius sint liberae ab omnibus vanis desideriis &c: si inquam, vir ita comparatus fuerit, nullum dubium est, si facultas eius imaginatrix laborauerit, & in operatione fuerit, illum non nisi res divinas & admirandas apprehensurum, nihil praeter Deum & eius Angelos visurum, &c.

§. X. Haec vero non eo pertinere ac si forte potentiam, in ipsa anima latitantem, elicere hac ratione quis posset, atque proferre, sed tantum ut praeparetur eo modo ad indicationem futurorum a Numine recipiendam, idem MAIMONIDES porro dilucide docet. Ipsam prophetiam nihil aliud esse autumat, ** quam influentiam a Deo Opt. Max. mediante intellectu agente, super facultatem imaginatricem, influentem. Hinc porro addit * si influentia ista intellectualis influat in facultatem rationalem solum, nihilque vel propter materiae influentis paucitatem vel propter facultatis imaginatricis in nativitate imperfectionem, in facultatem imaginatricem destillet, inde oriri sectam sapientum speculatorum seu theoricorum. Quando vero influentia illa in utramque facultatem, rationalem nempe & imaginatricem, easque ab illarum creatione, in summo gradu perfectas influit, exinde fit secta a Prophetarum.

§. XI. Non tamen MAIMONIDES aut primus aut solus est inter

** Cap.
XXXVI.
* Cap.
XXXVII.

inter Ebraeos, qui de prophetia, hominisque ad eam dispositio-
ne, ita sentiat. Notum est Talmudicorum Doctorum effatum,
& passim celebratur: אין הקיבה משרה שכנתו אלה: *Non habitare facit Deus benedictus
maiestatem suam nisi super homine sapiente, potente, & diuite, & hu-
mili* Alibi tamen pro ענו ponunt קומה בעל formae quo-
que dignitatem staturamque corporis in iis requirentes, qui
vaticiniis annumerari cupiunt. Vtique haec eo spectare, quod
sapientia, ceteraque naturae & fortunae munera, aptum ho-
minem ad vaticinandum reddant, ex ipsis Ebraeorum Docto-
ribus nonnulli contendunt. His tamen se opponit, qui ceteris
ingenio & doctrina haud parum praestat, ISAACVS ABARBANEL,
** errorisque eos arguit. Namque Talmudicos Magistros hic
non de rebus quibus ad coelestem influxum recipiendum

** in Com-
ment. ad L
Reg. III. fol.
m. No. col. 4

praeparetur animus, verba facere, ex eo euincit, quod diuitiae,
potentia, statura corporis hic nullo modo in censum venire
queant: אין יאמר אדם שיהיו הדברים החכם תנאים
הכרחיים בנבואה ומכאן אלוה בהיותם ענינים
גופניים כלתי מתיחסים אל השכל ולא לנבואה
*Quis diceret has res fuisse condiciones necessarias prophetiae, & ad
eam perducentes, cum tamen sint res corporeae, nec propriae aut in-
telligibiles, aut prophetiae* Exemplis porro idem comprobat va-
tum diuinissimorum, qui cum extrema paupertate fuerint col-
luctati, tantum abest vt affluerint diuitiis. Indequ tandem
concludit: והוא המורה שאינם הכנות ולא דברים
מכאן אל הנבואה כי אם דברים נמשכים אחריו
בהשגחה רשם על הנבוא שיכרך ה' חילו ופעל ידיו
ורצה וקונו ה' יחליפו כח כפי רצונו ית' *Idque ar-
gumentum est (has res) non esse dispositiones (ad prophetiam.)
atque eo aliquem perducere, sed eam consequi, per Numinis prou-
dam circa vatem curam: cum opibus eius benedicat, operaque ma-
nuum eius rata habeat, expectantes autem in dominum nouis viribus
etiam augeantur, ex voluntate fauoraeque Numinis.* Haec
ABARBANEL non sine quodam ingenii acumine ad tuendos

Doctores Talmudicos, eorumque effatum aut emolliendum aut dextre interpretandum, excogitavit: sintne autem veritati consentanea, dispiciant, quorum id interest, hoc est, qui ex eadem gente secus sentiunt. Mihi illud adhuc scrupulum mouet, quod a Iudaeis non multum discedere Sabaeos videam, qui identidem Prophetam describunt per *virum mundum a turpitudine atque infamia exprobrationis, & a vitis corporis, perfectum in omni desiderabili. Precantem*, ita pergunt, nunquam ferre repulsam, sed in precibus suis exaudiri, coelius impetrando auxilium, & repellendo plagas a frugibus & bestis, apud HOTTINGERVM. *

* in Hiflor.
Orient lib.
I. Cap. VIII
P. 232.

Etenim & hos, inter dotes, quibus praeditos esse oporteat, qui vaticinari cupiunt, referre videas, ne corporis quodam vitio laboret, eodem, mea opinione, iure, quo Ebraei divitis florentem, corporisque statura egregie insignem, diuini muneris participem fieri posse credunt. Atque, cum, si viris doctis, quin ipsis Ebraeorum Magistris, credimus, in aliis ex Sabaeorum disciplina tam multa acceperint Iudaei, quid mirum si & hoc ex eiusdem gentis institutis ad eos promanauerit?

§. XII. Praeternitendus nobis neutiquam est BENE-DICTVS SPINOZA, qui more suo hic sibi maximopere placet, & ex Iudaeorum quoque disciplina ad impietatem propugnandam proficere voluit. Nam hominis temperamentum non tantum plurimum valere contendit, ad prophetiam generatim consideratam, sed & pro ratione temperamenti variare prophetias. ** Nempe si propheta, inquit, erat hilaris, ei revelantur victoriae, pax, & quae porro homines ad laetitiam mouent, tales enim similia saepius imaginari solent. Si contra tristis erat, bella, supplicia, & omnia mala ei reuelabantur. Et sic prout Propheta erat misericors, blandus, iracundus, seuerus, eatenus magis aptus erat, ad has quam ad illas reuelationes. Primum ita pergit, constat ex illo casu Elisae II. Reg. III. 15. qui ut Ioramo prophecaret, organum petiit, nec Dei mentem percipere potuit, nisi postquam Musica organi delectatus fuit. Tum demum Ioramo cum fociis laeta praedixit: quod antea contingere nequirit, quia Regi iratus erat. Et qui in aliquem irati sunt, apti quidem sunt, ad mala, non vero

** in Di-
scurs. Hifto-
rico- Polit.
Cap. II. P.
28. 19.

bona

bona de iisdem imaginandum. Comprobat idem exemplo Ezechielis, cui prae ira impatientis, miseriae & contumacia Iudaeorum fuerint reuelatae, & Ieremiae, quem maestissimum, fuisse dicit, & magno vitae taedio captum, indeque calamitates Iudaetum praedixisse. Cum MAIMONIDE vero ceterisque Ebraeis in eo consentit, quod imaginandi facultati omnia tribuit, * qua si quis non excellat, ad vaticinandum eum non esse aptum contendit, etsi ceteroquin sit mortalium sapientissimus. *De Salomone enim, inquit, constat, eum sapientia quidem, sed non dono prophetiae ceteros excelluisse. Prudentissimi etiam illi Heman, Darda, Calchol, Prophetae non fuerunt, &c.*

§. XIII. Possemus his & alios addere, qui ab hac sententia non fuere alieni, si conquirere cuncta anxie, & studiose conuectare vellemus. Sed satis iam patet, hanc opinionem non destitui patronis & defensoribus. Vnus adhuc illis addendus est, isque facile doctissimus, PETRVS PETITVS, iam antea nobis laudatus. Is cum illis neutiquam suffragetur, qui animum per se facultate futura praenoscendi instructum autumant, dispositionem tamen quandam naturalem ad indicationem futurorum a Deo recipiendam, ei vindicare non dubitat. * Inter adiumenta autem ista naturalia, atque opportunitates ut vocat, ad prophetiam requisitas, primum locum tribuit mentis sublimitati ** qua qui praediti sint, sic ad diuinorum contemplationem naturaliter rapiantur, vti ferrum ad magnetem. Hanc autem propensionem non inesse nisi iis, qui animum naturaliter magnum habeant, vique mentis praestanti, excelsa, & luminosa praediti sint. Quae quibus singulari naturae munere tributa sit, eos natura ad prophetam aptos prae aliis omnibus videri. Fatetur, lumen propheticum totum a Deo pendere, sic tamen ut consentaneum sit magis & congruentius tribui illustribus ingenis. Si enim, ut Theologus Aquinas notat, maxima in Prophetis requiritur mentis eleuatio ad diuinorum contemplationem, constat autem quosdam ita esse mente a natura comparatos, ut multo melius aliis diuina contemplari valeant, quod peculiarem ad id studium indolem nati sint, quia tales viros magis ad prophetiam natura aptos

* l. c. p. 17

* de Sybil-
la lib. I.
cap. IX.
** l. c. cap.
X.

apros fuisse neget? Tali autem indole ad prophetiam apta praeditos fuisse, ait, PLATONEM, PYTHAGORAM, HERACLITVM, PARMENIDEM, ANAXAGORAM, ARISTOTELEM.

* Cap. XI. * Sequitur hic ARISTOTELEM, ** qui iam pridem docuit, homines quos melancholicos, ex humoris atrii in corpore proventu supra alios humores abundantis, appellare solemus, ad vaticinandum esse quam maxime aocommodatos, Sibyllamque & alios vates eiusmodi fuisse temperamento praeditos. Οθεν Σιβυλλας καὶ Βακιδες, καὶ οἱ ἐν θεοῖς γίγνονται πάντες, ὅταν μὴ νοσηματι γίνωνται, ἀλλὰ φυσικῇ κέρας. Vnde Sibyllae & Bacides aliique Numine afflati omnes efficiuntur, cum id non morbo, sed naturali intemperie accidit. PETITVS autem id porro confirmat exemplo MOSES & ELIAE. Vtrumque enim temperamento & habitu corporis melancholicum fuisse autumat: vterque insignis vates fuit, ut qui illis praeferri queat, non reperiatur. De MOSE id probat ex amore solitudinis, quo eum impulsum credit, vt IETHRONIS oues pasceret. Ex βραδυγλωσσία & ἰσχυροφωλία eius idem demonstrat, cum & haec auctore ARISTOTELE melancholicis sit propria. Nec praetermittit, quod quadraginta dies sine cibo & potu in monte Sinai transfegerit incolumis, diuina quidem virtute sine dubio sustentatus, corporis tamen forte temperamento aliquid conferente. Homines autem diu sine cibo conseruare, itidem nonnulli inter nigri humoris peoprietates numerant. ELIAM autem tali temperamento gauisum fuisse, ex moribus eius, & quod in locis montanis, & a commercio hominum remotis fuerit, commoratus, porro & ex habitu corporis, & vestitu quo vsus est, euincere annitur.

† lib. I. Cap. XIII. §. XV. Tertio coelum ipsum atque sidera mouet, eaque nascantibus aliquid inspirare, quo fiant apti ad diuinandum, contendit. † Etenim coeli potestatem in hunc mundum inferiorem omnibus notam exploratamque esse autumat, vt in eptum quoque iudicet, qui verbis id probare studeat, quod rerum

rum perspicuis documentis experientia vel tardissimis ingerat. An ergo ex his quae coelo in haec caduca delabuntur, aliquid in hominum animos redundat? Quidni? inquit, cum & mores huic configurari, tum miras naturis hominum singularium innasci proprietates, non infimi subfellii philosophi fateantur. Sed addit tamen, siderum influxum & dispositionem, se non habere pro causa principali facultatis diuinandi cum HIERONYMO CARDANO, sed pro praeparatione quadam cum POMPONATIO. Ex huius enim mente duas in Sibylla fuisse praeparationes, vnam ab astris in ortu illi impressam, alteram temperariam, quae priori illi certis temporum articulis accedat, motum scilicet atrae bilis. Quod si cupido sciendi aliquem incedat, quae astra in genesi eius dominari oporteat, qui futurus sit vates, ex CARDANO respondet, sub Venere, Ioue, atque Saturno nasci homines ad vaticinandum aptos.

§. XVI. His addit quarto haustum halitus subterra-
nei. †† In quo, vt ipse fatetur, praeuertes sibi praeter ARISTOTELEM, habet PLINIUM, PLUTARCHUM, aliosque. Postquam autem exemplo singulari ex LEONICO THOMAEO comprobauit, mirandas terrae variis in locis esse vires, quas non modo eorum quae ex se generando profert, proprietatibus, sed & hominum naturis & temporariis commotionibus ostendat, accurate porro docet, qua ratione illa in antris commoratio, animum ad vaticinandum disponere potuerit. Nimirum & solitudine & silentio tenebrisque ipsis non parum attolli atque ali animos, ipsi valde fit verosimile. Hinc & siluas meditantibus aptas censerit, vel PLINIO teste: *Iam undique siluae & solitudo, ipsumque illud silentium, magna cogitationis incitamenta sunt.* Accedere, ait, quod antrorum horror admirationem atque venerationem in animo excitet. MARSILII FICINI hoc comprobatur testimonio, qui septem vacationis, hoc est, animi a sensibus & corporeis rebus abstractionis genera distinguendo, subterraneorum quoque locorum secessu admirationem excitari, doceat, & hac potissimum ratione adductam Sibyllam in antra diuertisse, ad captandum Numinis aut daemoneis affectum.

† L. c. Cap.
XIV.

statum, contendat. Nec praetermittendam putat terrae ex-
 spirationem, cum & ea speluncis vim vaticinio opportunam
 inesse arguat. Ea enim ratione succum melancholicum, omni-
 um corporis humorum maxime terreum, siccum, densum, calo-
 re concepto homines reddere amentes, & *εκστασις*, quae
 ex mente Aristotelis proxima fit ad diuinandum praeparatio.
 Quod, ita porro inde infert, si illi humori inest, ex terrae, quae
 in ipso dominatur, proprietate, quanto magis terrae ipsi inesse,
 existimandum est?

§ XVII. Quas haec tenus recensuimus non minus viro-
 rum, qui ea defendere susceperunt, auctoritate, quam ratio-
 num quoque haud omnino contemnendarum firmari possunt
 pondere. Earum praecipuas afferre, haud abs re fuerit. Pri-
 mo itaque fauere huic sententiae videtur praeparatio ad pro-
 phetiam in gente Israelitica recepta. Fuisse in ea societates
 quasdam atque collegia vatum, apud omnes diuinarum lit-
 terarum non ignaros, positum est extra controuersiam †. In-
 nis ad vaticinandum & diuinum afflatum recipiendum,
 sanctissime disciplinae alumnos fuisse praeparatos iti-
 dem dubio caret. Praeparati, inquam, ibi fuere, non
 tantum precibus, aliisque exercitationibus sacris, quibus
 mens a corporis rerumque ad sensus pertinentium com-
 mercio deducitur, & ad res diuinas contemplandas aptior red-
 ditur, sed musicae quoque sacrae usu, qua quin eleuare ad di-
 uinae gratiae influxum recipiendum, animos allaborauerint,
 non videtur abnuendum. †† Iam vero siue existimemus ve-
 hementiore affectum, ope musices concitatorum, commotio-
 ne, animum velut sede sua motum facilius a Deo impulsu-
 esse prophetico spiritu, ad extraordinarios etiam corporis mo-
 tus, in quibus praesentis Numinis indicia se pandebant †:
 siue malimus credere sedatum hac ratione fuisse animum, com-
 positosque affectus, qui lenem illum diuini Spiritus influxum
 impediabant ††: nobis quidem nunc istud perinde est. Nam-
 que id saltem inde consequi videtur, certam quoad potentias
 naturales animi dispositionem requiri ad afflatum aut Numis
 nis

† *conf.* I.
 Sam. X. 5.
 XIX. 19. II.
 Reg. II. 3. 5.
 IV. 38. *add.*
 Molinaeus
 de Vate lib.
 I. cap. XVIII
 †† *vid.* Her-
 mannus
 VVitusius in
 Miscellan.
 Sacr. lib. I.
 Cap. X. §. 8.
 p. 78.
 † *vid.* I.
 Sam. X. 10.
 & XIX. 20.

†† *vid.* II. Reg. III. 15.

nis aut genii cuiusdam recipiendum. Atque videbatur musica ad talem animo inducendam dispositionem, longe aptissima, quippe qua & PYTHAGORAM non alia fere de causa usum fuisse nouimus.

*Pythagoras, inquit CENSORINVS, * vt mentem suam semper diuinitate imbueret, priusquam se somnio daret, aut cum esset expergitus, cythara, vt ferunt, cantare consueuerat.* Peruasum quippe illi erat, per somnia hominibus cum Deo commercia intercedere, inque iis homines futura a Numine edoceri. Ad haec ergo diuina commercia, & influxum sine impedimento recipiendum, musica praeparabat animum. In quo quidem Magistrum secuti sunt discipuli.

§. XVIII. Atque ipsa hic non sunt praetermittenda somnia. Namque iis saepe homines futura edoceri experientia constat. Adeo illud comprobatum multiplici euentu fuit, vt in disciplinam etiam somniorum abierit interpretatio. Eaque vt iam antiquissimis gentibus fuit frequentata: * ita per tot secula ad nostram aetatem vsque suis non destituta fuit cultoribus. Vtique per somnia ea hominibus innotescunt, quae a vigilantibus nullo modo intelligi atque cognosci possunt. Notata sunt exempla PEVCERI, PEIRESCII, GROTHII, aliorumque. Si ergo in causam inquiras, deprehendes profecto, licet quaedam forte hominis temperamentum ipsaque natura sibi vendiceret, haud raro tamen non posse non sublimius quid subesse. Ast si porro quaeratur cur pro temperamentorum varietate, alii cui futura per somnia innotescant, quae aliis non indicentur, tum quidem ad naturalem animae dispositionem necessario erit confugiendum. Sane ad somniorum causas rationesque euoluendas, nihil expeditius esse videtur, quam vt asseramus, aut auimum hominis recondita quadam vi, futura praenoscendi, pollere, quae sensibus per somnum consopitis, pro corporis diuerso habitu, liberius, sed diuersimode, se prodant: aut ad indicationem futurorum a Deo aut genio quodam in somniis recipiendam certam animi dispositionem requiri, quae a temperamento corporis proueniat, sensibusque per somnum ligatis maxime se exerat. Posterius quidem longe vero vide-

* de Die Nat. Cap. XII p. m. 53. Edit. Lit. denbrog. * add. Iamblichus de Vita Pythag. lib. I. Cap. XXV. Quintil. lib. IX. Institur. Otat. Cap. iV. * Vid. Cicero lib. II. de Divin. Cap. CXXXXIII. it. Iamblichus l. c. * Vid. Thomas Stantleius in Histor. Philos. Orient. lib. I. Sect. IV. Cap. XXXIII.

tur similis, & ad somniorum naturam explicandam valde accommodatum, praesertim si addas, hanc indicationem fieri per genios, singulis hominibus a Deo adjunctos, & ad quaeuis futura, quae illis innotuerunt, indicare paratos, sed cum circumscripta sit eorum potestas, temperamento hominis eiusque constitutioni naturae quadam necessitate, se attemperantes.

§. XIX. Sed & ad exempla subinde pronocari videas. Namque non tantum inter Ebraeos aut Christianos, sed inter Ethnicos quoque extiterunt qui futura canerent. * Nec naturali eorum dispositioni minus, quam diuino afflatui, tribuendum videtur. BILIAMVM prophetis, nemo fere non, praecunte ipso MOSE, annumerat. Idem tamen & a vero Numinis cultu, alienus, & impuris insuper fuit moribus. Hunc ceterum Deo eoque charum fuisse credas, ut velut per miraculum cum eo descenderet in colloquium, gentiumque fata ei indicaret? Nimirum ingenio videtur ad caelestem influxum recipiendum, aptissimo fuisse, quo qui praediti sunt, etsi improbi illorum sint mores, iis non potest non per naturae ordinem a Deo fancitum, futurorum manifestatio obtingere. Paucis: aut saltem per specialem gratiam, non sine quodam miraculo Deus quibusdam futurorum notitiam imperit, aut sine discrimine quibusvis indole apta instructis, eam offert, plane ut ceteris ingenii dotibus improbi quandoque homines superbiunt. Illud affirmare pronum haud fuerit, cum Deum dedeceat, impuros & improbos homines ad intimum istud amicitiae commercium admittere, ad quod paucissimis etiam probissimorum, aditus patet. Hoc ergo ut admittamus, naturalemque dispositionem homini ne denegemus, inde consequi necesse est.

§. XX. De oraculis nihil dicam, cum forte dispositioni naturali & indoli in iis nullus locus fuerit. Equidem & Sibylla & Pythia videntur ex genii cuiusdem, afflatu futurorum notitiam accepisse: sed hoc inter alia discrimine, quod in Sibylla erat animi dispositio, insuper requirebatur, quae in Pythia adesse non debebat. Quae enim tripodem conscendebat, ut erumpentis e specu spiritus vi externata vaticinaretur, quacun-

* *vid.* Guillielmus Benerregius in Cod. Can. primitivae Ecclesiae vindicato & illustrato lib. I. Cap. XIV. add Antonius Borremansius in Dial. de Poëtis & Prophetis P. 72.

cunque demum indole aut animi dispositione esset, perinde erat. Rudes enim & ignotae virgines, de quarum adeo indole non constabat, euocabantur ex tuguriis agriculturalum, vt isto munere fungerentur. At Sibylla exemplum, quod rem profus euincat, subministrare videtur. Quin PETRVM PETITVM, doctissimum virum, saepiusque iam a nobis laudatum, Sibyllae consideratio in eam induxit sententiam, vt serio naturalem istam ad vaticinandum facultatem, hominibus adsereret. Omnia autem in ea conspirare videntur. Concedamus enim tantisper, quod vir doctus contendit, vnam tantum fuisse Sibyllam. ** *conf. tamen Seruati Gal-lacus de Sibyllis Cap. 1.* Vaticiniorum sane praestantia caeteros vates, qui inter Gentiles fuerunt, multum exuperauit. Mentis sublimitatem nemo ei denegauerit. Propitio fidere natam editamque in lucem esse, vel eventus docuit. Antra quoque incoluit & terrestres captauit halitus Nec abluunt virginitas, castitasque eius, sed diuinandi facultatem, qua praedita fuerit, euincunt. Haec omnia cum ita se habeant, quis dubitet, fuisse etiam ex naturae ingeniique sui conditione ad vaticinandum aptissimam? Et si Dei aut daemonis afflatu fuit percussa, quis dubitet eam ideo quod aptissima fuerit, delectam fuisse?

§. XXI. Sed nec apud Christianos ab ipsis Ecclesiae nascentis incunabulis, ad nostram vsque aetatem, desuerunt viri foeminaeque, vaticinandi facultate, insignes. Quorum si accurate expendere mores indolemque liceret, constaret forte, nullum eorum fuisse, qui non naturae quandam dispositionem ad afflatum Numinis recipiendum, secum attulerit. GREGORIVM quidem Thaumaturgum, multis vatum Ebraeorum, praeferre, ipsique MOSI aequiparare non dubitant *in vitacius cap. LXXX.* GREGORIVS ** lib. de Spir. S. Cap. XXIX. NYSSENS, * atque BASILVS. ** Quae MALACHIAS * primum Romanensis, postea Armachanus in Hibernia Episcopus, de Romanis Pontificibus cecinit, vates certissimus, neminem quoque fugere possunt, cum hodiernum *vid. Iacobus VVaraey de Scrip-toribus Hiberniae lib. 1. Cap. VIII.* Prophetia eius, de Pontificibus Romanis vsque ad finem mundi doctorum teratur manibus, additaeque CIACCONII & CARRIERII explicationes, quin euentus responderit praedictioni, dubitare neminem sinant. Porro

HIERONYMVM SAVANROLAM , IOHANNEM HVSSVM , HIERONY-
MVM PRAGENSEM , NICOLAVM EREMITAM , suo iure inter vates
locum sibi vendicare , ecquis est , qui ignorat ? Taceo KOTTE-
ROS , ZEIGLEROS , BRASCHEROS , KREISELIOS , PSACHEREROS , DOP-
PENOS , WARNEROS , RICHARDOS , ENGELBRECHTOS , PONIATO-
VIAS , similesque prophetas , & prophetissas per orbem chri-
stianum celebres. ** Namque vtut forte in hisce omnibus dif-
ficile fuerit , definire , quid Deo , quid genio cuidam , siue bono ,
siue malo , debeatur , ipsa tamen multitudo vatum , esse quid in

** *bid.* Gui-
lielmus Sal-
denus in Or.
Theolog.
lib. I. Exer-
citat. IX. p.

193.

ipsum possit , euincere videtur. Etenim si praeter ordinem De-
us afflatu suo homines percelleret , raro admodum vates orbis
visurus esset , Cum enim in ceteris rebus naturae leges a
Deo migrari miraculaque edi , raro admodum contingat , ra-
tio non videtur vlla esse , vt in futurorum noticia hominibus
impertienda frequentissime hoc eum facere credamus , eous-
que vt nulla temere aetas vatum fuerit sterilis. Idque co mi-
nus vero simile sit , quod quae ad homines Numinis volunta-
tem edocendam pertinent , iam in diuinis perscripta sint litteris ,
vt miraculo non videatur opus esse. Sed mittamus isthaec.

* *conf.* quae
ex libro : E-
claircisse-
ment des
veritables
Quatrains
de Maître
Nostrada-
my, Docteur
& Pro-
fesseur en
Medicin ,
refert Peti-
tus de Si-
bylla lib. III
Cap. IX.

Quid natura indolesque , ad vaticinandum valeat , in nullo vn-
quam patuisse luculentius videtur , quam in MICHAELE NO-
STRADAMO , cuius mirabiles fuere non de Galliae tantum , sed
ceterorum quoque regnorum fatis praedictiones , sub forma
tetrastringorum editae. Diuersa quidem sunt eruditorum de
eo iudicia. Quidam enim pro impostore , quidam pro mago
eum habuerunt. Fuerunt qui virtutem propheticam in eo
agnoscerent. * Ipse astrologiae si non omnia , saltem pleraque
se debere videri voluit. Interim ab imposturae suspitione
euentus , vaticinorum optimus interpretes , eius praedictio-
nibus accuratissime respondens , eum facile liberat. Quin-
DANIEL GEORGIVS MORHOFFIVS ea ipsum praedixisse , ait,
quae infernalis genius vix praedicere potuerit. †† *Quod si*
†† Polyhist.
Litt. lib. I. ita pergit , *ille (diabolus) e naturalibus signis haec capere potuis-*
Cap. X. p. 95. *set , quid vatem Nostradamum ex iisdem scire potuisse ? Sed quae*
illa

illa signa sint, ex quibus eiusmodi quid capere liceat, non addit. Saltem astrologiam eousque pertingere, vix mihi persuaserim. Superest ergo, ut siue a Deo, siue a genio quodam futurorum notitiam eum accepisse, statuamus. Sed quae praedixit, nec a genis praesciri possunt. Ergo a Numine ea edictus fuit. Rursus tamen id aut secundum naturae leges, aut per miraculum quoddam factum est. Hoc vix quisquam affirmauerit, qui secum expenderit, in friuolis interdum & ludicris praedictiones eius occupatas fuisse. Illud si asseratur, naturalis iterum ad vaticinandum dispositio, omnino est admittenda.

§. XXII. Ordo nos nunc eo deducit, ut quo robore polleant, quae ad vtramque sententiam confirmandam, allata sunt, dispiciamus. Proinde quod ad eos attinet qui ipsi menti neficio quam reconditam vim per se, sine alterius indicatione futura praenoscendi inesse contendunt, eos ratio conticescere iubet. Etenim ex accurata mentis eiusque facultatum consideratione patet, quod non existit, siue in se, siue in certis quibusdam signis, illud nullo modo intelligi, aut cognosci posse. Sed illud quoque mentis vim superat, quo pacto intelligi queat res, cuius nullum plane indicium extat, quo intellectui innotescat. Namque cognitio omnis fit per ideas, aut saltem ideas supponit. Ideae autem rerum extra nos positarum, quales sunt de quibus vates praedicere futura solent, res extra nos existentes supponunt. Ast quae nondum sunt, nec in se, nec in suis signis, quo pacto menti per ideas obuersari possunt? Nec est, quod eo te recipias, modum ignorari, inde tamen rem ipsam non posse vocari in dubium. Id enim valeret, si luculentis rationibus, res ipsa esset euicta. Eam vero nullo modo probari posse, mox constabit. Alio argumento eandem sententiam impugnatur HERMANNVS WIRTSIUS, † quod praetermittere, instituti nostri ratio iubet. Suffragantur vero nobis iudicia sapientum, qui soli Deo futurorum fortuitorum notitiam vendicant †† De Ebraeis & Christianis res exploratae veri-

† in Miscel-
lan. Sacris
lib. I. Cap.
VIII. §. 8.
p. 55.

C 3

†† *vid.* Petrus Daniel Huetius in *Demonstrat. Euang. Axiom. IV. p. m.*
27. seqq.

tatis est. Inter ipsos quoque Ethnicos plurimi AMMONIO re-
fragantur. Scitum illud HESIODI:

Ματρὶς δ' ἔδός ἐστιν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων

ὅστις ἀν εἰδείη ζῆνός νόον ἀγλοχόιο.

Vates autem nullus est inter homines terrae incolae,

Qui nouerit mentem Iouis Aegioblii.

†† Carmin. Quocum consentit HORATIVS ††

lib. III. Od.

XXIX.

† lib. IV. de

Benef. Cap.

XXXII.

Prudens futuri temporis exitum

Caliginosa nocte premit Deus.

Stoicorum quoque decreta hic recte sequitur SENECA : † nota
est Diis operis sui series omniumque illis rerum per manus suas itu-
rum scientia in aperta semper est : nobis ex abdito subit, & quae
repentina putamus, illis praevisa veniunt ac familiaria. Quin

†† Memora-

bil. lib. I. sub

init.

†† : μηδὲν τῶν τοῦτων, διομένως
ἀνακαταμόνιον, ἀλλὰ πάντα τῆς ἀνθρώπων γνώμης, διαμονῶν
ἐφ' ἑ : horum omnium si qui nihil ad Numen referant, sed uniuersa
potius ad hominis consilium. furere dicebat. Sed haec suffici-
ant,

§. XXIII. Nec rationes ab AMMONIO allatae, & a PETRO
PETITO vberius explanatae, vlliae sunt ponderis. Namque,
quod ad primam attinet, praeteritorum ac futurorum oppido
magnum est discrimen. Praeterita enim certum, euentem,
& effectu ipso comprobatum nexum habent, quem memoria
non minus representat, quam simplices rerum praeterita-
rum ideas. Ast futura fortuita, si cum nostra cognitione
contendantur, eiusmodi nexu carent. Nec sufficit vt ideae
rerum quarundam mentis opera inter se connectantur; con-
stare etiam debet an res ipsae aliquando sint connectendae.
De praeteritis autem hoc facile constat, cum praeter ideas sim-
plices ipse earum nexus menti fuerit impressus. Ast istius
nexus, quo res futurae coniungendae sunt, cum nullum pla-
ne indicium extet, qui fieri potest vt mens per se eum perspiciat?
Sane ille nexus a prouidentia diuina vnice pendet, quae
cum in occulto opus suum peragat, frustra menti facultas Nu-
minis decreta praenoscenti tribuitur. De vatis autem, ita

cen-

censeo, fieri quidem posse, ut qui ex Numinis aut genii cuius-
 dam indicatione futura cognoscunt, illi insigni quoque polle-
 ant memoria, rerumque praeteritarum notitia, siue haec ite-
 dem ex Numinis reuelatione, ut mosi, siue ex memoriae prae-
 stantia illis contingerit: sed inde nulla ratione consequitur,
 quod qui excellenti praeteritorum notitia instructus est, idem
 quoque futura quaeuis cognoscere atque intelligere possit.
 Sed & quemadmodum nemo asseruerit vates omnes memo-
 ria multum valuisse, ita contra illud certum est & exploratum,
 multos stupenda praeditos fuisse memoria, qui tamen futura-
 rum rerum plane fuere ignari. Quosdam morti vicinos va-
 tycinatos fuisse non nego. Ast eo ipso insitam diuinandi fa-
 cultatem se prodidisse, euinci luculentiori argumento debu-
 issent. Futura fortuita solus Deus cognoscit, hominesque edo-
 cet. Cur itaque & morituris ea illo auctore non innotesce-
 rent? Quod vero tum demum illis manifestentur, eius rei non
 alia videtur esse ratio, quam quod animus ad Diuinitatis con-
 sortium tum propius euehatur corporis quippe vinculis exo-
 lutus. In puris sanctisque viris, quos sacrae litterae comme-
 morant, rem ita se habuisse, manifestum est. Ad improbos au-
 tem & Gentiles quod attinet, de iis IO. HENRICVS HEIDEGGE-
 RVVS ita statuit, †† temere eos aliquid sibi finxisse, Spiritu Dei de-
 stitutos, & a Sathane eludente hac ratione ac eleuante quae noue-
 rat a Deo in sanctis viris fuisse facta, misere fuisse deceptos.

†† in Histo-
 riarch.
 T. II. Exer-
 cit. XXIII.
 p. m. 705

§. XXIV. Plus negotii nobis facessere videntur, qui sal-
 tem dispositionem quandam naturalem, ad influxum diuinum
 recipiendum in vate requirent. Qua de re ut rite statuatur,
 nostram sententiam distinctius edisseremus. Primo itaque
 assero: ut a Deo ipso futurorum quis indispicatur notitiam & indi-
 cationem, physica quaedam, & naturalia, nec mentis, nec corporis re-
 quiruntur dispositio. Eiuoco hoc inde, quod nulla ratione de-
 monstrari possit, Deum ut in ceteris effectibus naturalibus
 producendis, ita hic quoque, in futurorum indicatione, aut
 quibusuis reuelationibus certis se adstrinxisse legibus. Si er-
 go Deus sibi ipsi nullas leges praescripsit, quid obstabit. quo-
 minus

minus homini sanguineo temperamento gaudenti, non ae-
que facile reuelare immediate quid possit, quam melancholico
praedito? quod cuiusuis temperamenti homines in-
ter vates reperiantur: quod non diffitebitur, qui sanctissimo-
rum hominum mores & propensiones secum reputauerit dili-
gentius. Deinde porro autumo: *licet physica dispositio non sit
necessaria, nihil tamen impedit, quo minus ea Deus quandoque
vriatur, & reuelationem, indicationemque futurorum, eidem attem-
peret.* Hoc volo, vt in aliis, muneribus vim legemque naturae
excedentibus, Deus se indoli cuiusuis haud raro attemperat, ita
eum interdum homini reuelare futura, aut generatim, aut
eius dispositioni conuenientia, quod iste ex naturae suae tem-
peramentiuē conditione, ad istam reuelationem recipiendam
ceteris sit aptior. Non enim video, cur Deus hoc aut non pos-
set, aut non vellet quandoque facere. Rursus & hoc addo?
*a physica dispositione discernenda est moralis, mentis sanctitas, pu-
ritasque.* Haec licet nunquam fere non adsit in iis, qui diuino af-
fatu percelluntur, Deus tamen interdum & improbis futura mani-
festat. Exempla certissima hoc nos condocent. De vatum
Ebraeorum sanctitate quis dubitet? Fuit tamen & BILEAMVS
vates, homo improbus atque impurus. Subiungo tamen &
istud: *quod ad genios attinet tum bonos, tum malos, cum certis
limitibus eorum circumscripta sit potestas, eos non posse semper, quae
sciunt, pro lubitu hominibus indicare verosimile est.* Verosimile,
inquam, est. Cum enim spirituum natura tam parum nobis
cognita sit & perspecta, temerarium foret certi quid definire.
Ast hoc assero, si quod diximus, ponatur, multa, densissima,
caligine inuoluta, euolui & explicari facili negotio possunt.
An vero genii alia ratione indicare homini quid possint, quam
ope phantasiae, eam mouendo, dubito, idque negantibus lu-
bentius forte accesserim. Vt ergo generatim in corpora, ita
& in phantasia hominis restricta est geniorum potestas. Nec
errauerit qui asseruerit quod per temperamenti conditionem,
similesue causas impediri vis illorum atque potestas, queat.
Haec

Haec omnia autem licet comprobari multis possent, nobis tam
men tantisper ea assumpsisse, nunc sufficit.

S. XXV. Iam excutiamus quae supra sunt allata. Primo
quidem nec istud, in quo illa dispositio consistat, satis constat.
PETRVS namque PETITVS praestantiam mentis atque intellectus
sublimitatem, primo nominat loco. Ast si MAIMONIDI credimus,
vis imaginandi eum occupare debebat. Consistere vero haec
secum nequeunt, cum omnium fere consensu, qui intellectu
singulari praediti sunt, vi imaginandi destituantur. Adeo hoc
exploratum videtur IANO HVATO, * *vt prodigii instar esse, judi-*
cet, si quis occurrit insigni imaginatione praeditus, qui idem una & bono
ingenio aut bona memoria polleat. Non vacat prolixè hoc excute-
re, aut in causas inquirere: id experientia docet, raro admo-
dum contingere, ut qui intellectus acumine pollent, iidem vi
imaginandi praestanti sint praediti. Intellexit, puto, hoc BE-
NEDICTVS SPINOZA, hinc in contrarium plane currit, sapienti-
amque omnem vaticinis denegat, & quo quis perfectiori intel-
lectu praeditus sit, eo minus aptum ad vaticinandum esse,
contendit. Quicquid hujus sit, id manifestum est, licet indo-
lis & intellectus praestantia, ad res naturales investigandas, &
prompte diiudicandas plurimum valeat: licet quoque, si divi-
no lumine idem fuerit collustratus, in intimos mysteriorum
divinorum recessus profundius penetrare valeat, quam illi for-
te, quibus tantum intellectus acumen non contigit: inde tam-
men non consequi hominem intellectu praestanti pollentem,
hoc ipso aptiorem esse ad afflatum diuinum, quo vates per-
celluntur, recipiendum. Namque earum rerum vna disposi-
tio naturaliter ad alteram est, quae sunt in eodem rerum genere
atque ordine, sic vt altera subiectum quodammodo ad alteram
recipiendam praeparet. Ast solertia & agilitas intellectus, &
revelatio futurorum a Deo facta, toto coelo differunt: & illa
non magis dispositio ad hanc vocari potest, quam corporis ro-
bur ac sanitas ad sapientiam ac eruditionem. Rursus, si Deus
lege quadam sanciuisset, vel federe se obstrinxisset, ad revela-
tionem futurorum istis impertiendam, qui intellectu sublimi

D

essent

* in Scrutina
Ingen. Cap
VIII. [p. 111]
216.

essent præditi, saltem is conditionis sustineret vicem, sine qua nemini futurorum indicationem sperare liceret: ast nec istud probatum est, nec euinci aut comprobari potest. Proinde horum quicquam admitti a nobis nequit.

§. XXVI. Deinde in temperamento melancholico oportunitatem ad vaticinandum quaerit PETRVS PETITVS. In quo rursus refragantes valde sibi habet Doctores Ebraeos, negantes quippe, eos qui maerore conficiuntur & lugent, vaticinari posse. Celebratur subinde illud Magistrorum effatum. מן השכונה שורה מתוך צער אלה מתוך שמחה *diuina maiestas non quiescit in tristitia, sed in laetitia, id est, non super homines tristes & melancholicos, sed super laetos & alacres.* Hinc diuino viro IACOBO, mortem filii IOSEPHI lugenti, nullam oblatam fuisse prophetiam, contendunt. Et huc illud quod a MOSE dicitur: ** & revixit spiritus Jacobi patris ipsorum, referunt. Namque R. SALOMON IARCHI * verba: & revixit spiritus, interpretatur: שרחה עליו שכונה *quieuit super eum diuinitas, quæ videlicet ab eo discesserat, Consentit ONKELOS, qui ita vertit: ושרח רוח קורשא & quieuit Spiritus super Jacobum: itemque IONATHAN: רוח נבואה & quieuit Spiritus prophetia super ipsum. Luculenter autem rem omnem edisserit MAIMONIDES: ** nostri etiam, in-*

** Gen.
XLV. 27.
* in Com-
ment. ad h. l.

** in Mor.
Nevoch.
Part. II.
Cap.
XXXVI.
P. 295.

quit, unam quamque facultatem corporelem, certo tempore defatigari, debilitari, & corrumpi, & alio tempore florere ac vigere. Iam vero facultas ista imaginativa sine dubio est corporalis. Ideoque inuenies illam in aliquibus prophetis, tempore luctus, irae, & similibus accidentium, cessauisse. Hinc inquirunt, vt nostri, Rabbini nostri, prophetia non habitat &c. Ita Patriarchae Iacobo toto luctus sui tempore nulla prophetia oblata fuit, quia facultas ejus imaginatiua tum occupata fuerat circa amissionem Josephi. Sic Mosi doctore nostro nulla obtigit prophetia, sicut prius, post murmuracionem exploratorum, donec mortua fuit, tota illa generatio deserti virorum bellicosorum &c. Nec Ebraei tantum id asserunt sed exempla quoque comprobant. DAVIDEM Regem sanctissimum, praestantissimis diuinisque va-

tibus annumerandum esse, nemo temere abnuet. Ast si quis melancholicum eum fuisse temperamento asserere ausus fuerit, nae! eum rerum ab illo gestarum plane ignarum esse oportet. Quin nec MOSEN nec ELIAM, melancholico fuisse temperamento probatum satis est. IETHRONIS oves pavit. Ast pauerunt & alii oves, non solitudinis amore capti, sed quod hocce vitae genus illis placeret. MOSES vero & Regis Aegyptii declinabat iram, & delitescere in deserto volebat. *Βεβουλωσσαν* melancholicis propriam quodammodo esse non abnuo. Praeter ARISTOTELEM hoc etiam confirmat IANVS HVARTVS, * Ergone autem non alia vitii hujus esse potest causa? Quod vero quadraginta dies sine cibo & potu transfegerit inculomis, ego quidem diuinae, quae eum sustentauerit, virtuti, tantum adscribere nullus dubito. Corporis huc quicquam contulisse habitum, Scriptura sacra ne leuissimo quidem indicio prodit. Sic & quae de ELIA proferuntur, conjecturae sunt, quibus parum proficiunt, qui iis delectantur. Non negaverim quidem, temperamenti melancholici mirificam quandoque vim esse, concesserim quoque, genium aut bonum, aut malum. aut etiam ipsum Deum, hac hominum dispositione diuersimode uti: ast homines hac indole praeditos, hoc proprium sibi ac peculiare habere, vt iis tantum, aliis autem, alio corporis animique habitu instinctis, neutiquam futura indicare possint id vero luculentius mea opinione, fuisset demonstrandum.

§. XXVII. Sic & quod de siderum influxu dicitur, a paucis forte assensum impetrabit. Nec profecto tam planum illud atque in aprico positum est, eam siderum in haec inferiora vim esse, quam Astrologi illis tribuunt. Sunt qui astris eam plane denegant, ** tum ob distantiam, tum ob alias rationes haud quaquam, vt videtur, contemendas. Saltem quae quantaue siderum in sublunaria vis sit, non videtur

D 2

** Vid. CL. V. Iohannis Christophori Sturmii Dissert. de Influxu siderum Cap. II, in Philosoph. ejus Eccl. p. 690, seqq.

* in Scrutin.
Ingen. Cap.
VIII. p. 258.

detur ulla ratione definiri posse : cum incertum sit , annon
 quae a remotioribus delabuntur , multis modis infringantur
 & temperentur à potestate fiderum nobis propinquiorum .
 Sed esto , habeant vim sidera in haec inferiora , num etiam
 in hominem habent ? habeant vero & in corpus hominis ,
 num ideo etiam animi praestantia dotesque inde pendent ?
 Astrologorum certe opinionem , non ingenium modo , sed hono-
 res , fortunas , & quicquid votis hominum expeti solet , fide-
 rum imperio subiicientium , iam pridem Viti docti infirma-
 runt . * Et sane recurrunt hic semper dubia astrologis non
 semel opposita , quando sidera vim suam in hominem im-
 primant ? num ipso momento nativitatis ? si ajas , quaerere-
 tur , qui sciri potuerit , qualis eo ipso momento fuerit fide-
 rum positus ? sin moram admittas , qui fiat quod gemini eo-
 dem tempore nati propensionibus moribusque maximopere
 differant ? Quae omnia licet ad corpus quoque pertineant ,
 nihilo secius si concedatur etiam corpora fiderum potestati
 esse obnoxia , quid inde ad animum ? Scio , huius propen-
 siones & mores illius temperamentum sequi , sed ad vaticin-
 andi facultatem hoc nihil conferre , evictum jam est &
 comprobatum . Sed nec in aliis , animi propensiones a cor-
 poris constitutione eo usque derivare fas puto , vt in eo
 vnica & praecipua illorum causa collocetur . Nec enim men-
 tis nostrae natura perspecta nobis fatis , cognitaque est ;
 adeoque nec constat , annon vt inter corpora ita inter
 mentis ipsas discrimen aliquod qualecunque demum istud
 fit , intercedat .

* *Sid. Cicero*
lib. II. de Di-
vinat. Cap.
XXIX. it.
Picus Mi-
randula
contra a-
strologos
praesertim
lib. II. Cap.
II.

§. XXVIII. Denique nec subterraneus ille halitus indu-
 cere animo ullam ad vaticinandum dispositionem videtur .
 Qualiscunque is sit , animum ipsum attingere nequit , cor-
 poris autem temperamentique si per eum aut augeatur , aut
 imminuatur , vel mutetur plane constitutio , non tamen ad
 animum inde quicquam , quo ad influxum divinum recipi-
 endum praeparetur ac disponatur , redundare potest . Soli-
 tudi-

tudinem, silentium, & tenebras, meditantibus prodesse non
 abnuo, sed quid postea? Ergone statim ad vaticinandum di-
 sponunt: Fovent melancholiam, nonnullisque, suis com-
 mentis indulgendi, eaque pro diuinis reuelationibus arrip-
 endi, occasionem suppeditant: ad diuinandum parum aut
 nihil conferunt. Ast venerationem tamen & admirationem
 in animo speluncae excitant. Esto. Ideone statim ad vaticinan-
 dum disponunt? Vix mihi persuadeo. Augent tamen succum
 melancholicum, & quae ab eo proficisci possunt, multo magis
 ipsis halitibus sunt tribuenda. Non male, si ad vaticinan-
 dum temperamentum melancholicum multum prodes-
 set. Ast docent hoc exempla. Video quidem pro-
 ferri exempla, quibus partim probatur, halitus sub-
 terranei mirificam vim esse, partim demonstratur,
 qui futura cecinerunt, descendisse in antra, & halitus eius-
 modi captasse. Illud non abnuo, est huc quicquam facere,
 nego. Sed nec hoc inficias eo quosdam vates halitus sub-
 terraneos captasse. Ast non aliam, dum hoc fecerunt, sub-
 fuisse causam, aut halitum istum vim vaticinandi illis im-
 pertiuisse, id si quis sibi persuaserit, eum oppido credendum
 esse oportet. Certe CICERO †† vim illam loci, si quae est, na-
 turalem esse diserte negat. Quid enim, inquit, tam diui-
 num, quam afflatus ex terra mentem ita moueri, ut eam
 prouidam rerum futurarum efficiat, vt ea non modo cer-
 nat multo ante, sed etiam numero versuque pronunciet?
 AMMONIVS * vero ipse vaporis vim eiusmodi ideo denegat,
 quod ea non semper, sed tum demum, si certi ritus acce-
 dant, se exerere dicatur. Η γὰρ, inquit, ἀναθυμίασις ἀντε
 ποιῆται, τὸ ἰσχυρὸν, ἀντε μὴ, παρῶσα ποιῆ τὸν, ἐν θεοῖσι μὲν καὶ
 διαθήσει τὴν ψυχὴν ὁμοίως, ἢ τῆς Πυθίας μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ
 τυχεῖος ἀψυγῶν σώματος. Vapor enim sive tremat victima, siue
 non tremat, ubicunque aderit, diuinum instinctum incuriet; ani-
 mumque adficiet, idque non tantum Pythiae, sed si quodcumque cor-
 pus attigerit.

S. XXIX. Executiemus nunc ea, quae pro hac sententia

D 3

firmant.

†† de divi-
nar. lib. II.
Cap. CXVII

* apud Plu-
tarchum de
Orac. def.
loc. cit.

firmanda, dicta sunt. Vatum in gente Ebraea quasdam fuisse societates, positum in apriuo est. Eos ad afflatum Numinis recipiendum animum praeparasse, itidem dubio caret. Preces, piaeque meditationes citra controuersiam, inter illorum exercitationes primum tenere locum. Cum enim pura sanctaeque mente delectetur Deus, certe ad afflatum ejus percipiendum, non rectius sese praeparare potuerunt: utut, quod supra monuimus, nulla inde Deo injiciatur necessitas. Et intra hosce quidem limites subsisterunt, unde, ad Physicam quandam dispositionem animo inducendam, eorum institutum neuiquam comparatum fuisse apparet. Musices qua usi dicuntur, ad motus animi aut sedandos aut concitandos, utique magna vis est. Veterum scitum est,

†† *lib. Lud. Coel. Rhodiginus: Lect. Antiq. lib. V. Cap. XX.*

†† eam a Numine nobis datam, non ut eam ad delicias conuertamus & aurium pruritus, sed ut, quod animae consonantiam turbat, & harmoniam, hujusce voluptatis delinimento sedari ac ad ordinem redigi queat. Forte itaque adhibuerunt eam vates ad incitandum aut sedandum animum: forte & Deus tali mentis dispositione usus est. Ita vero dispositio, qualiscunque fuerit, vt ab ea, quae ex temperamento, praesertim melancholico provenit, multum differt: ita quoque vates semper ita praeparasse animum, Deumque nullum nisi ita praeparatum ad istud diuinitatis commercium admisisse, nusquam prouiditum est memoria. Atque hoc est quod nos abnuimus, dispositionem naturalem, ex temperamento praecipue prouenientem, ad indicationem futurorum à Deo recipiendam, necessario requiri.

§. XXX. De geniis vero non sine ratione nonnulli dubium mouent. Quorum dum hic mentionem iniicimus, ad rationem a somniis petitam etiam dilabimur. Ab his enim futurorum in somniis indicationem subinde prouenire, vt credam, haud difficulter adducor. Restrictamque & certis limitibus circumscriptam eorum esse potestatem, jam supra passus sum. Addo & hoc, quod duplici de causa impediri pos-

possint, quo minus futura, quae velint, hominibus manifestent. Vel enim in ipso hominis temperamento aliquid est, quod vim geniorum sufflaminet, vel ipsi motus animi & phantasiae undecunque orti, si aut remissiores, aut vehementiores fuerint, iis obstaculum ponunt, quo minus quicquid velint, indicare hominibus possint. Illud inde verosimile fit, quod quidam homines ea indole praediti sint, ut nihil omnino illis eveniat, cujus non antea quaedam per somnium illis obtingat significatio. Testatur HERONVMVS CARDANVS †† id sibi semper contigisse. Quatuor enim sibi a natura indita esse, quae admiratione digna sint, perhibet, interque ea tertio loco hoc refert: *quod omnium, inquit, quae mihi veniunt sunt, imaginem video per somnum. Neque unquam ausim ferme dicere, vere autem dicere possum, meminisse, quod quicquam boni aut mali, vel mediocris mihi euenerit, de quo prius & non ante multum non fuerim per somnium praemonitus.* Quemadmodum vice versa nonnulli sunt, quibus nulla unquam futuri indicatio per somnium unquam facta est. Quin nec desunt, qui nunquam omnino somniant, teste LVDOVICO COELIO RHODIGINO. † Posterius autem inde robur capit, quod unus idemque homo eodemque temperamento gaudens, aliquando futura per somnium edoceatur, alio tempore non item. Nec tamen obstat quicquam quo minus vtrumque jungamus, asseramusque, geniorum tam arte includam esse potestatem, ut praeter temperamentum conditionem, certus ejusdem gradus, forte & alia aut corporis aut mentis dispositio, ad eorum manifestationem recipiendam, requiratur. Haec omnia autem licet ita se habeant, nobis tamen non aduersantur. Namque, quando abnuimus, certam animi dispositionem ad futurorum notitiam adipiscendam requiri, de ea hoc intelligimus, ut ex iis quae supra asseruimus, patet, quam Deus mortalibus impertit, non de ea, quae a genio quodam proficiscitur.

§. XXXI. Iam & de exemplis dispiciendum, quae se-

cus

† de Ret.
Var. lib.
VIII. Cap.
XLIII.

† lib. XIV.
Antiquar.
lect. C. XLI.



cus sentientibus, maximum asserre praesidium videntur.
 BILEAMVM fuisse vatē, futuraque a Deo ipso edoctum, re-
 ferente & asserente hoc scriptura sacra, abnuere, improbum
 foret. Impuris quoque fuit moribus. Ast ideone naturalis
 necessaria fuit dispositio ad influxum Numinis recipiendum?
 Fuerunt, quae sapientissimum Numen mouerent, ut eum,
 quamuis improbum alloquio suo, futurorumque indicatio-
 ne dignaretur, sapientiae quidem diuinæ usquequaque
 conueniente, nobis neuiquam scrupulosius perscrutanda.
 Ut vero ex eo quod improbi opibus, doctrina, auctoritate,
 pios vincunt, non concludere licet, illos gratiores Deo es-
 se, quam hos: ita nec ex eo quod BILEAMO futura reucla-
 uit, quae piis ita non innotescunt, inferendum est, Deum
 his minus fauere, quam illis. Sic &, quemadmodum im-
 probi diuitiis opibusque affluentes, ideo piis cum extrema
 paupertate colluctantibus, nullo modo feliciores censendi
 sunt: ita nec BILEAMVS ob istam reuelationem felicior vilo
 modo piis existimari debet.

§. XXXII. Oracula Gentilium, vel ipsis qui secus sen-
 tiunt, fatentibus, huc nihil faciunt. Si enim vel maxime in
 Pythia certus corporis habitus requisitus fuisset, jam concef-
 simum de genis daemonibusque, eos pro temperamenti de-
 mum conditione futura & arcana hominibus indicare pos-
 se. Sed constat insuper, in antro Delphico cuncta ad frau-
 dem fuisse comparata. Id quod, vt ceteros taceam, ex in-
 stituto probauit ANTONIVS VAN DALEN. †† Loci obscuritas,
 obscepta laureis adyta, suffimenta, cellae subterraneae, quos
 occulte subeuntes homines vafri Pythiae auribus, quae vel-
 lent, inspirare poterant, hoc satis arguunt. Accedit propria
 Ethnicorum confessio apud EVSEBIVM, † qua efficitur, vt ne-

† in Dif-
 fertatione de
 oraculis
 Ethnicorum
 Dissert. II.

† de Praeparat. Evangel. lib. II, Cap. IV.

nemo amplius ea de re ambigere possit. De Sibylla vero ut iudicium ferri queat, de ipsis eius carminibus dispiciendum, num talia sint, ut diuinum afflatum arguant. Recte itaque & erudite obseruatum est a GVILIELMO BEVEREGIO, ** tres classes carminum istorum esse constituendos. Primam vera ista & genuina carmina Sibyllina complecti, quae septuaginta & sex circiter annis ante Christum natum, vna cum capitolio in quo asseruabatur, conflagrarint. Ad alteram ea pertinere quae Romani rursus deinde collegerint, quorumve reliquias apud PLVTARCHVM, PAVSANIAM, CLEMENTEM ROMANVM, IUSTINVM MARTYREM, aliosque habemus. Ad tertiam denique, quae hodie extant Sibyllina carmina refert, quae a Christianis conficta esse contendit. De iis itaque, quae iam pridem perierunt, nobis, ut opinor, non erit disputandum. Namque cum non amplius extent, nullum quoque inde capi argumentum potest, sintne a Deo, an a daemone profecta. Quod si tamen vera sunt, quae de sibylla, horum carminum auctore, siue una fuerint, siue plures, referuntur, a Deo eam sua hausisse, vix mihi persuadeo. Agit hoc magno conatu SERVATIVS GALLAEVS † ut demonstret, sibyllas diuinitus non fuisse inspiratas, quamquam id quod constituimus carminum discrimen, non obseruet. Nos hoc vnicum saltem urgemus. Proditum memoriae est, sibyllam, cum oracula funderet, furore quodam fuisse correptam. Sic possum nobis sistitur a VIRGILIO: ††

*At Phoebi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates : magnum si pectore possit,
Excussisse Deum, tanto magis ille fatigat,
Os rabidum, fera corda corda domans, fingitque premendo.*

Plura in re non dubia non addo. Astquam haec a divino afflatu sint aliena, nemo non videt. Componat haec, qui valet cum moribus vatum, quos diuinæ nobis commemorant litterae, & longe alios in illis, etiam, cum divino agebantur spiritu, fuisse reprehendet. Nullus ibi furor, nulla amentia, nulla tumultuatio, sed sedatus compositusque animus & meus,

E

** in Cod.

Canon. primitivae Eccles. vindicato & illustrato lib. I. cap. XVI.

† in Dissecation. de Sibyllis C. XXII. P. 104. seqq.

†† lib. VI. Aeneid. v. 77. seqq.

si unquam, tum maxime sibi constans. Proinde si a dæmone malo fuere concitatae sibyllae, non est, quod laboremus. Facile enim concesserimus, daemonem elegisse feminas, ratione temperamenti & aliarum *regis dæmon* ita comparatas, vt facillime sua cum illis communicare, & tum ipsis sibyllis, tum aliis per eos offundere caliginem posset. Nec tamen ideo omnia approbaverim, quae ad naturalem earum dispositionem euincendam dicuntur: cum fieri potuerit, vt infernalis genius magis ex calliditate, quam necessitate, hisce feminis fuerit usus. Ast quod ad ea carmine attinet, quorum passim adhuc reliquiae quaedam extant, quae a Romanis, postquam priora perierant, studiose fuere collecta, ea cum ne quidem a Sibylla profecta sint, frustra quoque hic in disceptationem trahuntur. Namque quod ISAACVS VOSSIVS asserit, ab Ebraeis forte haec oracula profecta esse, a vero non adeo abhorret, licet non nesciam displicuisse hanc sententiam praeter alios maximopere IOHANNI MARCKIO. † Proinde nec SERVATIVM GALLAEVM ex iis recte argumenra depromere patet, ad evincendum, Sibyllam non fuisse diuinitus inspiratam, quod incaute fecit: nec rectius adducuntur ad demonstrandum diuinandi, qua instructae fuerint, facultatem, posita naturali dispositione, ad Deum auctorem referendam esse. Vtroque modo peccatur, cum ea Sibyllae cuiusdam esse certo argumento demonstrari nequeat. Quae vero ad tertiam classem retulimus, sua se futilitate produunt. Ficta ea esse, Sibyllaeque nomen mentiri manifestum est, nec a quaquam nisi harum rerum imperitissimo, negatur; quod praeter alios accurate demonstrarit BLONDELLVS, † contra quem licet hæc carmina defendenda suscepit IOHANNES CRASSETIVS, is ramen redactus est in ordinem, melioraque edoctus tum a IOHANNE MARCKIO, † tum a SERVATIO GALLAEO. †

† in Disputationibus Academicis de Sibyllinis carminibus.

† de Sibylla praefertim lib. I. cap. VIII. IX. seqq.

§. XXXIII. Ad ea denique, quae ultimo loco prolata sunt exempla

† in pecul. Dissert. Disputationibus eius Academicis de Sibyllinis Carminibus annexa. † I. c. Cap. XXIII. p. 571. & alibi passim.

exempla, quod reponamus, non anxie nobis est conquirendum. Qui enim a Christo nato, ad nostra usque tempora, inter ipsos Christianos extiterunt vates, aut a Deo ipso, aut a genio quodam siue bono, siue malo, quae praedixere, edocti sunt futura. Si a Deo, tum quidem demonstrandum erit, eos tali fuisse indole & dispositione praeditos, quae ad vaticinandum requiratur, & nisi ea gauisi fuissent, diuinum non potuisse recipere afflatum. At vix quenuquam munus istud euincendi in se recepturn, certus sum. Ego vero, secus in plerisque rem se habuisse, comprobare, si opus esset, possem. Sin a genio quodam futurorum hauserunt notitiam, tum nos quidem ei non refragabimur, qui contendere sustinuerit, non potuisse illud sine certa quadam dispositione animi fieri, licet rursus an de singulis hoc comprobari possit, non immerito ambigamus. Sed illud tamen addendum, haud raro callida fraudulentorum hominum commenta, pro vaticiniis venditari. Documento esse possunt, quae MALACHIAE tribuuntur, quae cetera celebritate facile vincunt. Certe haec non a MALACHIA profecta, sed tempore vacantis post mortem VRBANI VII. pontificis, sedis Romanae, ab aliquo clientum Cardinalis SIMONCELLI, post GREGORII XIV. conficta esse, serio contendit CLAVDIUS FRANCISCVS MENETRIERVS. † Nec contemnendis plane, vt ego opinor, nititur argumentis. Praeterquam enim quod & alia eiusmodi fraudum exempla prostant, nec ab ingenio horum hominum talis impostura abhorreat, probauit idem MENETRIERVS, prophetias falsamente attribues a S. Malachia sur les Elections de Papes, &c. primum qui horum vaticiniorum meminert, esse ARNOLDVM WIONIVM, cuius liber: *lignum vitae*, A. 1595. Venetiis prodierit. Nec diffiteri potest, quicumque haec oracula secum expendent, quaedam aut plane non, aut non nisi admodum contorta, in Romanos Pontifices, ad quos referuntur, quadrare. Vt cunque hac se habeant, nubem pro iunone, commenta otiosorum hominum pro oraculis subinde homines amplexi, certum est. Sed quae de NOSTRADAMO narrantur, & supra relata sunt, ut admiratione sunt digna, ita, ut secus sentiamus, non tamen

tamen efficiant. Citra ambages assero eum suspensionem cuiusdam cum genio commercii, effugere nullo modo posse. Ab ipso Deo eum futura edoctum, cum in frivolis & ludicris etiam quandoque futura praedixerit, asserere nolim: nec scio an pie fati sentiant, qui bonum genium huc advocant. Mali daemonis afflatu perculsum eum fuisse, qui negant, honestos viri mores obijciunt, talia insuper eum praedixisse contendunt, quae nec ac ipso infernali genio praesciri poterint. Ast prius parum ponderis forte habebit apud illos, qui sciunt, sceleratissimos mortalium interdum egregie bonos viros mentiri. Nec posterius quenquam mouebit, qui se cum reputauerit, posse Deum demoni malo quaedam reuelare, quae improbis hominibus manifestet, ut in errore confirmati suae impietatis eo grauiore dent poenas. Sed per nos quidem unusquisque hac de re statuatur, prout illi visum fuerit: siue bono, siue malo genio haec tribuamus, siue denique ipsum Deum huc aduocemus, nostrae, quam defendendam suscepimus, nihil inde derogabitur, sententiae.

S. D. G.



99 A 6910

ULB Halle 3
002 710 579




sb.


VD97

Retra

Mi. 68.







10

Q. D. B. V.

QVAESTIONEM

ANNATVRALIHOMINES
POLLEANT VATICINANDI
FACVLTATE?

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
MARCHIONE BRANDENBURGICO, ELECTORATVS
HEREDE, ET RELIQA

PRAESIDE

JOH. FRANCISCO BVDDEO,

SS. THEOL. LIC. ET PHIL. MOR. AC CIV.

P. P. O. h. t. DECANO,

PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS
CONSEQVENDIS,
DISSERTATIONE PHILOSOPHICA
EXPEDIET,

EAMQVE A. D. DECEMB. A. M. DC. XCIIX.

ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTET

FRIDERICVS WILHELMVS *Hoffbauer*/
Bielfeldensis Guestphalus.

Cum Permiss. Recusa.

JÆNE, Typis KREBSIANIS, 1717.